

Off. 59.5.

an 17-18

עמ' עשו

DISSE^TRAT^O PH^ILOLOGICO-CRITICA
DE
SECTIONIBUS PENTA-
TEUCHI MINORIBUS,
PETHUCHOTHAC SETHUMOTH
VULGO APPELLATIS,

QUAM
CL. CUIDAM PH^ILOLOGO REFORMATO,
MODESTE OPPOSITAM
BENEVOLO SUPERIORUM INDULTU
IN ACADEMIA KILONIENSI
ad d. 15. Septembr. MDCCVI.

Publicē Eruditorum disquisitioni submitteſ
P R A E S E S

M. JOSIAS HENRICUS OPITIUS,
Facult. Phil. Assessor.

ET RESPONDENS

EBERHARD REIMERS,
Reval. Livon.

K I L O N I ,
Literis Bartholdi Reutheri, Academ. Typogr.

VIRO
NOBILISSIMO, CONSULTISSIMO
ATQVE AMPLISSIMO,
DOMINO
H E N N I N G I O
à WEDDERKOPP,
DUCATUUM SLESVICI
ET HOLSATIÆ
ARCHIVARIO & PROTONOTARIO
LONGE MERITISSIMO

DOMINO PATRONO SUO

MULTIS NOMINIBUS
COLENDO,
HANC QUALEM CUNQUE DISSERTATIONEM
ACADEMICAM
IN ULTERIORUM SUI
COMMENDATIONEM

D. D. L.

PRÆSES.

PROOEMIUM.

On postremus boni alicujus libri character
est concinna ejusdem in partes distributio,
qua non solum legentium memoria im-
pense juvatur, sed & ipsi scripto singularis
quædam gratia ac venustas additur. Cun-
cta etenim quæ sunt, à justa & venusta re-
rum dispositione commendantur; in area domus, in foro
cives, in campo acies; quin orbis ipse & universa hæc re-
rum compages hanc, quam cernimus, pulchritudinem ab
ordine habet, quem vel solum si in densissimis rerum divi-
narum tenebris intueantur gentiles, Numen in eo depre-
hendunt, eleganter admodum more suo scribit Guilielm.
Saldenus in doctissimo quem de Libris varioque eorum U-
su & Abusu edidit Tractatu p. 91. Scilicet, Philosopho Judi-
ce, omne ordinatum pulchrum etiam est, quia σύμμετρον.
Quidn̄ igitur & σύμμετρία ista Librum aliorum potissimum
commodo concinnatum maximè commendaret? Neque
verò methodica in ordinem collatio tum demum requiri-
tur, quando circa peculiare argumentum scriptum ali-
quod occupatur, verum etiam ubi è diversis materiis opus
quoddam est compositum. Spe&tat hoc cum primis Codex
V. T. de cuius argumenti varietate ut hic multa præfari su-
stineam, eo minus necessarium esse puto, quo magis o-
mnibus atque singulis de eadem constare sum persuasus.
Permovit eadem viros omnium temporum religiosos, ut
pro suo in Codicem Sacrum affectu de apta partium con-
stitutione cogitarent, quam tamen omnes eodem successu
non fuerunt asscurti, cum, juxta Platonem, nihil difficilius
ac divinius sit, quam rectè partiri. Non commemorabo jam
divisionem in sic dictos versiculos, quæ si fundamentum ac

Sillukos, terminum eorundem constituentes species, ultimæ certè antiquitatis est, ipsisque scriptoribus sacris natales suos debet: liceat mihi hac vice saltem provocare ad partitiones alias in V.T. obvias, generales pariter ac speciales, quæ verbis nostris fidem facient, quanta semper in rite partiendo Codice Sacro exhibita fuerit industria? Quam non solcite laboratum fuit, ut aptus conveniensque Librorum numerus constitueretur, qui memoria facilimè retineri posset! Alii quippe cum Philone Judæo, Josepho, Origene, Epiphonio, Gregorio Theologo, Hieronymo, Rufino &c. Secundum numerum literarum Hebraicarum viginti duos; alii cum antiquis Talmudistis ac Judæis tantum non omnibus, vel ad Alphabetum Hebraicum triplicata in honorem Nominis divini litera Jod, vel ad 24. claves templi respicientibus, nec non cum Patribus quibusdam alphabeti Græci, sive etiam 24. Seniorum apocalypticorum rationē habentibus, viginti quatuor; alii plures, alii pauciores libros numerarunt, in numero numerato quidē inter se discrepantes, in numerante verò secum exactissimè convenientes. Constituto sic mnemonicō librorum canonicorum numero eosdem ad certas quasdam classes redigere sunt conati. Nota est usitata Judæorum distinctio τεχοτομικὴ in Legem, Prophetas, & Hagiographa, quam & ex priscis latinis quidam approbarunt, si alias Hieronymo Præfat. ad Libr. Reg. & Daniel. fides est habenda, ad quam ipse etiam Salvator noster respexisse videtur, quando Luc. 24, 44. discipulis suis omnia illa in memoriam revocaturus, quæ prædicta de ipso in Scripturis fuerint, provocat ad τὸν νόμον Μωϋσέως, καὶ προφήτας, τῷ Φαλμυρῷ, per Psalmos haud dubie intelligendo omnes libros,

libros, qui hagiographorum parte continentur. Nota est
 distinctio LXX. & recentiorum Latinorum, quâ etiam
 B. noster Lutherus usus est, secundum quam Libri V. T.
 in quatuor partes dispescuntur, in Legalem videlicet Histori-
 cam, Poeticam s. doctrinalem & Propheticam: ut de di-
 visione Græcorum quorundam Patrum in Legem, Pro-
 phetas, & Psalmos s. Carmina; Epiphani & Damasceni in
 quatuor quinarios, Legalē, Hagiographicum, Carmineū
 & Propheticum; Gregorii Theologi in Libros Historicos,
 Poéticos & Propheticos; R. Abaranelis in eos qui ante in-
 gressum in terram Canaan, qui in ipsa terra Canaan, &
 qui post egressum ē terra Canaan s. in captivitate fuerunt
 concinnati, nihiljam commemorem. Quam verò insig-
 gnem operam præstiterit is, qui Capitum distinctionem
 Codici Sacro addidit, sive is Stephanus Langthon, An-
 glus, sive Hugo Cardinalis, sive alius quispiam fuerit,
 ex ipsis etiam Iudaëis prædicat El. Levita, Præfat. in Libr.
 Bachur, cum inquit: Te scire volo, Lector, me biblicos
 versus, quos in hoc libro citaturus sum, signaturum no-
 mine illius libri, in quo versus ille invenitur. Ne hoc con-
 tentus amotabo etiam numerum capitum, in quo sententia
 illa continetur, idque juxta ordinem, quem Christiani ob-
 servant in viginti quatuor Bibliacis, qui Sectiones illas lin-
 gua sua capitula appellant. Et certe video id necessarium
 esse, & ingentem hinc haberi commoditatem, cum subito
 cernere possis, in quo libro & capite certa quædam conti-
 neatur autoritas; siquidem aliquando per integrum di-
 em, aliquando per duos dies eam quererit fatigatque se
 non modicum, donec inveniat ingressum portæ; seu caput
 loci, ubi illa scribitur sententia. Quando quidem verò Pen-
 tateu-

tateuchus Mosaicus præ reliquis Libris omnibus Iudæis maximo semper habitus est in pretio, quippe qui non solū Apostolorum tempore, sed & diu ante singulis Sabbathis in Synagogis prælegi consueverat Act. 13, 15. & cap. 15, 21. factum est, ut præter ordinarias novæ ac peculiares eidem additæ conspiciantur partitiones, in aliis Codicis S. libris haud quaquam obviæ. Huc spectat tritissima illa divisio in סְרִירָה & קְרִירָה quā Pentateuchus Hebraicus in LIV, sive ut ex Masorethis & Maimonide discimus, in LIII. Sectiones Majores dispescitur, quæ in Codicibus impressis pariter, ac MStis communiter nunc tribus קְרִירָה nunc tribus קְרִירָה majusculis designari solent. Hujus divisionis Usus breviter exponit idē Maim. in Jad Chasaka Tract. de Precibus & Benedictione Sacerdotum c. 13. consuetudo, inquit, est apud omnes Israelitas communis atque recepta, ut Legem anno absolvant, incipientes à sequenti post Festum Tabernaculorum Sabbatho, quo die legunt Sectionem primam Geneeos, in Principio creavit Deus &c. Secundo post Sabbatho legunt: hæ sunt generationes &c. Tertio deinde; & dixit Deus ad Abraham &c. Hoc ordine deinceps procedunt in lectione Legis, donec Legem in Festo Tabernaculorum absolverint. Et sanè quod hæc periodica Pentateuchum legendiratio jam ante tempora Christi inter Judæos obtinuerit, non obscure arguunt loca, ex Actis Apostolorum modo allegata, quæ etiam patrocinantur iis, qui hanc divisionem ad Esdram ac Viros Synagogæ M. referunt. Neque verò Sectionibus istis majoribus contenti Judæi easdem ulterius in alias minores dispescuerunt, quæ in Codicibus Hebraicis communiter per unum א & unum ב minusculum designantur, quorum illud בְּרִירָה seu Sectionem apertam, hoc verò בְּרִירָה seu Sectionem clausam

sam significat, nisi forte Sectiones istae minores in initia majorum incident; tunc enim apertæ quidem per tria ܐܼܼ clausæ verò per tria ܼܼܼ majuscula simul denotari solent. Atque de his Sectionibus Pentateuchi Minoribus in præsenti Dissertatione paulo prolixius cum Deo agere animus est, partim quia argumentum istud à plerisque Philologis atque Criticis nimis confusè, minusque accuratè pertractari solet, partim etiam quia nostrates Theologi pro sua Divisione Decalogi contra Reformatos fundamentum inde communiter petere consueverunt. Ita verò in hoc argumento occupabimur, ut ante omnia nostra de vero harum literarum usu atque officio sententiam distinctè proponamus, deinde rationibus Philologi cuiusdam Reformati, quas nostræ sententiae opposuit, quantum quidem fieri potest, breviter satisfaciamus. Faxit Supremum Numen, ut omnia procedant feliciter!

§. 1.

Sulla in re alia, certè in vero literarum ܐܼܼܼ & ܼܼܼ usu determinando inter se dissentient Doctores Critici. Orta hæc dissensio cum primis videtur ex falsâ istâ persuasione, quasi literis istis nominibus à se invicem differentibus necessario quoq; diversum plane officium competit. Hinc est, quod alii retentâ quidem communia usitatâ harum literarum denominatione, sed minus rite explicata, in usu tantum alignando peccaverint, alii verò præter id, quod falso literis hisce officium tribuerent, etiam à communi earundem appellatione deflectere non dubitarent.

§. 2. Judæi communiter Superstiosum iisdem usum assignant, statuendo, eas propterea Textui Sacro esse additas, ut statim scriba intelligere posset, quantum in descriptione Pentateuchi Hebraicî inter unamquamque Sectionem spatii relinquere, & ubi lineam terminare, novamque iterū inchoare debeat. Quod ut eo rectius intelligatur, sciendum Judæos in describendo Libro Legis

Legis ad superstitionem usque religiosos esse, quippe qui virginis minimum conditions observare tenentur, si velint, ut Codex Sacer habeatur, ac publicè in Synagogis prælegi queat. Inter eas vero conditiones referri etiam solet ista שָׁלָשִׁינָה צוֹרָה הַפְּרָשִׁיָּה, ne scriba formam Sectionum immutet, quod fit exponente Maimonide in Tractat. de Libro Legis c. 7. §. ii. או שכב פְּרָשָׁה אֶת סְתֻמָּה בְּפָרָשָׁה Si quis Sectionem apertam scriperit clausam, vel clausam apertam. Nimirum eodem Maimonide teste, sectionis apertæ duas sunt formæ. (1) Si finiat (scriba) in medio linea, relinquat reliquum linea vacuum, & incipiat sectionem apertam à principio linea secundæ; hoc est, relinquat de linea spatiū quasi novem literarum (2) quod si vero reliquum sit in linea non nisi exiguum spatiū, aut si finiat in fine linea, tunc relinquat lineam secundam totam absque scriptura, & incipiat sectionem apertam à principio linea tertia. Sectionis vero clausæ tres sunt formæ: (1) Si finiat scriba in medio linea, relinquat ordinarium spatiū, & incipiat scribere in fine linea dictionem unam ex principio Sectionis clausæ, ita ut appareat spatiū illud in medio. (2) Si non supersit de linea, ut possit spatiū illud relinquere, & scribere in fine dictionem unam, relinquat totum illud spatiolum vacuum, & parumper etiam spatiū in linea sequenti, & incipiat deinceps scribere sectionem clausam à medio linea secundæ. (3) Quod si finiat in fine linea, relinquat de principio linea secundæ spatiū ordinarium, & incipiat scribere Parascham clausam è medio linea istius. Hæc ille in Tractat. cit. c. 8. §. 1. & 2. ubi tandem concludit אמר שפרשה כתורה חתולה כתורה סתוםה חתולה מאכזב השיטה בהחלה חטיטה לעולם ופרשה סתוםה חתולה מאכזב לשולחן dico (Summatim) Sectionis apertæ initium semper debere esse à principio linea, Sectionis vero clausæ initium perpetuo à medio linea. Contentit hac in parte cum Maimonide Elias in Fragmentis Tabularum, dissentit vero ab eodem non-nihil R. Ascher, cuius sententia exponitur in Schulchan Aruch P. 2. Jore dea, Sect. 275. vid. etiam Buxtorf. P. in Abbrev. Hebr. p. 163. seqq. Cl. Joseph de Voisin Observat. in Prooem. Pugionis fidei Raym. Martini p. m. 81. seq. & Cl. Danzicus, in Literatore Hebreo-Chaldaeo Cap. 1. §. 5. p. 9. seqq.

§. 3. At-

§. 3. Atque ab hac superstitione Legem describendi ratione factum plerique existimant, ut Sectio ab initio linea incipiens vocetur פָתַח סֵכֶת Sectio aperta, quia ab apera linea incipit, & indicetur per ס minusculum eo loci positum: Sectio vero in medio linea incipiens vocetur סְתִמָּה clausa, quia utrinque eadem linea clauditur, & significetur per ס minusculum. Ut ut vero haec sit communis omnium fere Criticorum sententia, nos tamen nulla ratione induci possumus, ut credamus, Estram ipsius usque Collegas, quos ipsi Judaei harum literarum authores agnoscunt, propter superstitionem istum Pentateuchum describendi modum easdem Textui Sacro inseruisse, ab iisque Sectiones minores סְתִמָּות apertas atque clausas denominare voluisse. Siccine ergo ulla ratione probabile est, literas istas nullum aliud officium sustinere, quam ut designent, quantum inter unamquamque Sectionem spatium sit relinquendum? Certè uti haec scribendi ratio temporis successu à superstitionis quibusdam Judaeis, veram vocis פָתַח סֵכֶת significationem non attendantibus est introducta, ita eadem in multis Codicibus MS ac impressis, etiam à Judaeis procuratis haud observatur, in quibus Sectiones istae minores qualicunque tantum spatio sunt distinctæ.

§. 4. M. Laurentius Fabricius, Hebr. Lingv. quondam Professor in Academiâ Wittebergensi solertissimus, in doctissimo de Partitionibus Codicis Hebrei Libro cap. 9. alium adhuc literis istis usum assignat, dum statuit, quod per פָתַח סֵכֶת indicetur initium ac finis prælectionis, quam in Synagogis singulis Sabbathis septem diversæ personæ peragunt, quarum prima dicatur בְּרֵךְ quæ partem primam alicujus Sectionis legalis, altera יְלֵךְ quæ partem secundam ejusdem Sectionis, & sic deinceps prælegat. Ex ipsius itaque mente litera ב notat seu initium inter alias personas legentes, litera ס vero seu clausula & finis, ubi persona, quæ antea legebatur, desinit. Verum quod pace Viri doctissimi dictum velim, non videtur iste satis perspexisse discrimen illud, quod inter בְּרֵךְ & inter פָתַח סֵכֶת intercedit. Quælibet sectio legalis major apud

apud Judæos dispenscitur in septem **תְּלִקְיָה** seu Portiones, ad quas legendas viri peculiares septem advocantur. Hinc est, quod in Codicibus quibusdam ad singulas Sectiones majores in margine legatur **כָּהֵן** Sacerdos, qualis primus lector, si talis adsit, **לוֹטִי** Levita vel **שְׁנִי** Secundus **וּשְׁרָאֵלִי** Israëlite vel **שְׁמִינִי** tertius, **רַבְּנִי** quartus, **שְׁמִינִי** quintus, **שְׁשִׁינִי** sextus, **שְׁבִיעִי** Septimus, qua de re conferri potest Buxtorf. Synag. Jud. c. 16. p. 327. seq. Leusden. in Praefat. ad Biblia Hebr. non punctata, Lightfoot. Hor. Hebr. in Math. c. 4, 23. Pfeiffer. Crit. S. p. 10. At verò septem ista partes toto cœlo differunt à sic dictis **פָּתָחָה** & **סְרִמָּה** siquidem vel in unica Sectione majore non raro viginti Sectiones minores occurunt, cum tamen non nisi septem **חֲלֵק** seu portiones in ea locum habeant. Hac sanè ratione in prælectione Decalogi semper novus Lector foret evocandus, quotiescumque novum Præceptum inciperet; quod licet Viro cuidam magni Nominis, quem hic propter summa in Ecclesiam merita non nominamus, haud inconveniens videatur, quando contra Alstedium disputans, inter alia scribit, cur novus Lector inciperet, nisi novum præceptum aperiri Judaica antiquitas eo ipso innueret? nobis tamen certum est, hoc fieri nulla ratione posse. Accedit, quod sub initium novæ lectionis nullum aliquando nec **וְ** conspi ciatur, indicio certè manifesto, literis ipsis aliud officium esse tribuendum. vid Genes. 14, 21. c. 15, 7. Exod. 2, 11 Levit. 8, 15. &c. Quæ cum ita sint, cadit simul consectarium istud, quod ulterius ex hac hypothesi eruere conatur Cl. Fabricius, nim, cum hæ literæ singulis personis certas portiones legendas demandent, factum esse, ut ex accidenti vim quandom distinctionis habere animadvertantur, oportere enim ibi, ubi alia persona legere incipiat partem Paraschæ, primam Sententiam absolvì. Tantum enim abest, ut ex accidenti duas istæ literæ vim distinguendi fuerint sortitæ, ut potius verum atque unicum earundem officium in distinctione consistat, sicuti postea pluribus declarabitur.

§ 5. Nec magis feliciter se expedient isti, qui literis hisce Rasches & **וְ** qualitatem Textus notari statuunt, ita quidem ut literæ

literā s̄ subindicetur, Textum ita notatum esse apertum & plānum, qui operosa explicazione haud indigeat, literā d̄ contra, eundem clausum esse & obscurum, quique mysticum in se sensum complectatur. Hunc enim non esse verum literarum istarum usum vel centenis exemplis confirmari posset, si id instituti nostri jam permitteret ratio. Sufficiat hac vice saltem unicum ex Decalogo desumptum, ecquis sibi persuaderet, in Præcepto 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, literā d̄ notatis magis mysticum latere sensum, quam quidem in Præcepto tertio, cui literā d̄ præfixa cernitur Exod. 20. Taceo, quod pro hoc ipso d̄ in Deuteronomio compareat d̄ qua ratione idem Præceptum simul planum atque obscurum foret, quod planè ἀλογον.

§. 6. Majorem forte veritatis speciem præ se ferre videri posset Sententia Cl. Leusdenii afferentis, literam d̄ denotare Sectionem minimam, & eatenus esse primam literam vocis סְכָנָה conjuncta, hanc enim vocem denotare sequentia cum superioribus esse conjuncta, & etiam si verba hanc literam d̄ sequentia videantur esse initium novæ sententiae, nihilo minus tamen consequentia cohærere cum superioribus: Literam vero d̄ significare Sectionem majorem, qua נְהִירָה appelletur, eo quod à principio linea exordiatur, quemadmodum & Sectio minor per d̄ designata hoc respectu dici possit נְהִירָה sive clausa, eo quod in Bibliis MStis à medio non vero ab initio linea incipiat. vid. Phil. Hebr. Dissert. 4 l. 1, 2. Quo minus tamen & huic subscriptam sententiae, non una oblitare difficultas videtur. Nam ut taceam, Cl. Leusdenium nullo idoneo ex Judæorum monumentis petitio testimonio probare posse, literam d̄ idem quod סְכָנָה seu Sectionem conjunctam vel cohærentem denotare, ipsum quoque discrimen illud, quod inter Sectiones majores ac minores constituit, varias instantias admittit. Suppetunt etenim exempla non pauca in quibus litera d̄ æque magnam, aliquando etiam maiorem Sectionem designat, quam quidem litera d̄, uti inter alia patet ex collatione Genes. 6, 5. cum vs. 13. seqq. cap. 22. v. 20. cum cap. 24. vs. 1, seqq. Exod. 23. vs. 20. cum vs. 26. Levit. 15. vs. 19. cum vs. 25. Num 7. vs. 1. cum vs. 18. 24. &c. Deut. 15. vs. 1, 7, 12. cum vs. 19. Sed nec illud omnino admitti potest, verba

lite-

literam & consequentia magis cum superioribus cohaerere, quam ea, quæ literam & præfixam habeant. Ut ut enim hoc aliquando usu venire possit, dantur tamen etiam exempla in contrarium ubi verba, literam & consequentia, si non magis, saltem æquè à superioribus distincta sunt, atque illa quibus litera & præfixa cernitur. conf. Genes. 34 vs. 1. coll. cum cap. 35. vs. 1. cap. 49. vs. 5, 13, 14. cum vs. 16, 19, 21, 22. Exod. cap. 7. vs. 1, 8. coll. cum vs. 14, 19. &c. Quid? quod vel sola colatio Præcepti tertii in Exodo ac Deuteronomio hoc assertum labefactare possit, cum in altero loco ante Præceptum istud litera & in altero verò & compareat. Aut ergo dicendum, Præceptum tertium à secundo utrinque non æque esse distinctum, ut quod hoc nondum sit verum ac perpetuum harum literarum officium. Quæ de diversa Sectionum apertarum ac clausarum scriptione, indeque desumpta appellatione addit Cl. Leusdenius, jam tum superius à nobis profligata sunt, hic proinde non repetenda.

§ 7. Et quis recensēbit omnes omnium Crisicorum, quas circa duas illas literas, earumque usum atque officium fovent, opiniones? Optima, ac veritati quam maximè consentanea est sententia illorum, qui duas hasce literas pro perpetuo charactere discretivo diversi argumenti in toto Pentateucho habent, nullumque aliud officium ipsis tribuant, quam quod & seu קְרִירָה initium novi argumenti, & verò seu קְרִירָה finem præcedentis argumenti designet. Qui quidem literarum istarum usus inductione omnium, quorquot in toto Pentateucho occurruunt, exemplorum evidentissimè comprobari potest. Ita v. g. in ipso statim Codice Sacri limine singula pensa hexæmeri, & Exod. 20. ac Deut. 5. singula Præcepta Decalogi his Sectionibus minoribus distinguuntur. Scilicet Estra ac reliqui ipsius Collegæ (quos harum Sectonum authores fuisse infra haud contemnendis rationibus evincemus) cum viderent, quantam continua Pentateuchi scriptio confusionem aliquando inducere posset, pro suo in Librum Mosis affectu eundem in has Sectiones minores dispescere voluerunt, ut cuivis statim apparere posset, quoisque argumentum aliquod continetur, & ubi novum iterum incipiat. Quod ipso-
rum

rum institutum cum subsequentibus temporibus non recte perpenderet superstitione Judæorum plebs, factum procul dubio est, ut literis istis, ad diversitatem argumenti indicandam Textui Sacro unicè additis, alium omnino ac tantum non superstitionis usum assignarent.

§. 8 Sed hic adversarium inter alios nanciscimur Cl. quendam Philologum Reformatum, qui cum pro suo ingenii acumine facile pvideret, quantum ex hac hypothesi præsidu promittere sibi posset usitata Lutheranorum Decalogum dividendi ratio, nihil non egit; ut bolum istum nobis eriperet, usumque à nobis literis istis assignatum penitus subverteret. Hinc, postquam in erudita alias, quam de Decalogo scripsit, Dissertatione nonnulla Lutheranorum, quæ pro sua Divisione urgere solent, argumenta more suo modestè examinasset, tandem §. 60. n. 3. ad hoc quoque, quod à litera scripta petunt argumentum criticum dilabitur: argumentantur, inquit, ex litera scripta qua in Deuteronomio interseritur, *אשֶׁת רָעַךְ ס וּלְאֵת חֲמֹר נִנְחָת* Hoc enim & quoque interpositum volunt ad præcepta distinguenda. Cui nostrum argumentationi ut eo rectius eatur obviam, varias easque satis speciosas conquirit rationes, quibus eo magis faciendum est satis, quo plures postea reperti sunt, qui in suum quoque usum transferre easdem non dubitarunt.

§. 9. Duas verò objectionum suarum classes constituere ipsi placuit, argumentum nostrum partim infirmitatis, partim etiam incertitudinis arguendo. Hoc argumentum, inquit, planè infirmum & incertum est. Infirmitatem inde probat, quia multo firmius ex Exodo argumentari licet, quam ex Deuteronomio: in Exodo enim, ubi vera Decalogi descriptio contineatur, nullum ejusmodi in hoc Præcepto (nostro 9. & 10.) interjacere. Ergo unicum tantum esse Præceptum non duo. Sed miror, quomodo Vir Celeberinus tam audacter affirmare ausit, in Exodo nullum & inter Præceptum nostrum nonum ac decimum interjacere. Si id de sui temporis Codicibus impressis, Bombergianis, Plantinianis, Bâlieensibus &c. intelligit, admitti quidem hoc assertum potest; audiamus verò, quodnam de Codicibus istis judicium ferat doctissimus Criticus

R. Menachem in Or Thora , in quo utilissimo libello id in primis sibi negotii datum putavit, ut errores ac varias lectiones in Codicibus impressis, præsertim Venetis occurrentes è correctissimis ac fide dignissimis Codicibus MStis maximam partem Hispanicis incredibili labore, industria, ac maximis sumtibus impensis emendaret. Ita verò iste ad verba לְאַחֲרֵי אָשָׁה erravit, inquit, typographus, quod nullum spatium hic reliquerit, siquidem hic פֶּרֶשְׁתָּה סְחוּמָה Sectio clausa est, quæ etiam habetur in omnibus libris Hispanicis, ac confirmatur auctoritate R. Meir p. m. Præterea reperitur quoque in libro R. Meir Levitæ (cui titulum fecit סִיגּוֹן חֶרוּת Sepes Legis) nec non in Codicibus Ægyptiacis & Hierosolymitanis. Et ne forte offendaris, quod ejus nulla apud R. Mosen Ben Maimon fiat mentio, sciendum, hic errorem quendam typographicum in Maimonide fuisse commissum. Est verò penes me Codex quidam Maimonidis MStus satis antiquus, qui pertinuit ad R. Salmon Levitam p. m. in quo à verbis בְּכָר אַת אָבֵיךְ usque ad verba לְאַחֲרֵי אָשָׁה numerat septem Sethumoth sive Sectiones clausas ; todidem inventi etiam in Codice Maimonidis impresso, qui emendatus fuit in Ægypto, ad quem reliqui Codices examinari debent quandoquidem decisiones observat, & cum Codicibus Hispanicis concordat. Vitio ergo editorum tribuendum est, quicquid hic in Codicibus impressis fuit omissum, è MStis proinde restitendum, prout etiam post Cl. Philologi tempora illud optimè exprefserunt gemina Athiæ, & Berolinensis editio. Ponamus verò etiam in omnibus Codicibus impressis pariter ac MStis illud in Exodo deficere, nihil tamen hoc ipso nostræ divisioni decederet; sufficit enim, quod in Deuteronomio duo ista Pracepta constanter in omnibus Codicibus per ut diversa à se invicem discriminentur. Nec est quod Cl. Philologus excipiat, multo firmius ex Exodo, quam Deuteronomio argumentari licere, cum in Exodo vera Decalogi descriptio contineatur : quasi verò in Deuteronomio, ceu repetitione ac explicacione Decalogi non æquè vera ejusdem descriptio contineatur. vid. Venerand. Domini Parentis Dissert. anno 1677. hic hab. de Usu Accentua-

centuationis geminæ in genuina divisione Decalogi §. 18. M. Andr. Trotte in Disput. de Duplici Accent. Hebr. §. ult. B. Wasmuth. in Instit. Accent. Reg. XV. & B. Pfeiff. in Manuductione nova & facilis ad Accentuat. p. 31.

§. 10. Incertum esse Lutheranorum argumentum variis probatum it rationibus, quarum primam ab authorum literarum **ב** & **ד** incertitudine desumit: incertum, inquit, est: nam quod illa **ד** ut & **ב** attinet, primo incertum est, quemnam authorem habeant, ac proinde quoque incerta eorum authoritas. Novimus multos Hebræorum illa ad Esram referre, alios ad Mosen ipsum. Sed quibus testimonio id nobis probant? Sebastianus Munsterus in Præfatione Bibliorum suorum scribit: deinceps literas Samech & Pe, quas intra Mosaicum contextum quidam libri habent scriptas, veluti Judæorum figmentum reseculimus, quicquid ipsi dicant de Traditione Mosis & Esrae. Sic Mercerus in Comment. in Genesim ad cap. 1. v. 6. hic in contextu Hebraico præponitur in medio intervallo litera **ב**, quæ non ex Mose est, sed ex Hebræorum inventis. At enim verò negamus in hoc argumento ante omnia consequentiam. Etenim, si exinde, quod literarum **ב** & **ד** verus author lateat, statim sequeretur, incertam quoque illarum esse authoritatem, quid quæso de multis Sacræ Scripturæ libris dicemus, quorum æquè verus author ignoratur? Siccine ergo illorum quoque authoritas propterea incertitudinis foret arguenda? Eleganter hanc in rem Gregor. M. Præfat. in lib. Jobi: quis hæc scriperit, valde supervacuè quæritur, cum tamen author libri Spiritus S. fideliter credatur. Licet igitur vel maximè incertum foret, quemnam literæ istæ authorem habeant, quia tamen istæ multis retro sculis in Textu Sacro jam fuerunt expressæ, tantoque semper studio in probatis Codicibus affervatae, omnis authoritas ipsis deneganda haud erit. Et certè Sectiones istas minores non esse privatorum ac curiolorum quorundam Judæorum figmentum, uti quidem cum Munstero, Mercero, aliisque sibi persuadet Cl. Philologus, facili negotio ostendi potest. Quomodo enim ullâ ratione sit verosimile, privatum quendam Judæum propria autho-

authoritate Sectiones illas minores Textui Sacro inseruisse; aut si vel maximè etiam illas uni atque alteri Codici inseruerit, quis sibi persuadebit, eas unanimi consensu ab omnibus Judæis fuisse receptas, approbatas, atque in optimis quibusvis Codicibus tam constanter asservatas? quis crederet, tam altum de hoc instituto in omnibus Judæorum monumentis esse silentium?

§. 11. Multo igitur probabilius Sectiones istæ minores si non ad ipsum Mosen (quod ego quidem simpliciter affirmare non ausim) saltem ad Esram ac Viros Synagogæ M. referuntur, qui è captivitate Babylonica rediit pro suâ, quâ pollebant, authoritate Pentateuchum Mosaicum non solum in Majores, sed & in Minores hasce sectiones dispecuerunt, quo confusio omnis evitaretur, lectioque eo commodius institui posset. Atque pro hac sententia militant pleraque probatissimorum Judæorum testimonia, ipsomet Cl. adversario nostro non diffidente. Audiamus ex multis vel unicum Authorem Schelscheleth Hakkabbala, qui inter alia, ecce, inquit, Viri Synagogæ M. novas ediderunt in bonum totius captivitatis constitutiones multas, veluti distinctionem versuum, diversitatem lectionis & scriptio[n]is, plena & defectiva, Sectiones clausas & apertas, literas majusculas & minusculas, accentus & puncta vocalia: item computum mensium anni, sumto initio à mense Septembri: nam ad id usque tempus anni initium sumebatur à mense Martio &c. Nec defunt etiam Christiani, qui eandem hanc sententiam defendunt, magno numero à nobis adducendi, si id instituti nostri ratio, ipsi usque rei necessitas flagitaret. Sebastianum Munsterum, quem una cum Mercero pro le allegat Vir Cl. propter insignia merita magni equidem aestimamus, eundemque non immerito à Thuano Germanorum Esram & Strabonem appellari judicamus, in Bibliis tamen ejus non paucasunt, quæ censuram merentur, inter quæ etiam est illud, quod expressis Accentibus majoris distinctionis, Silluko, Athnacho, & Sakephkatono reliquos minores veluti parergos neglexerit, insuperque in Libris Metricis 2que ac in Prosaicis Athnachum maximam versus interpunktio[n]em efficere persuasus fuerit, rejecto (non sine criminis laſae majesta-

ONIBUS

majestatis) Regē maximo Merca mapachato, ac turbata sic ubique
maximā distinctionis metricæ sede, merito eo nomine notatus à
B. Wasm. in Vindic. Hebr. P. 2. c. 2. obj. 2. p. 359.

§. 12. Nec ullum est dubium, quin ipse Cl. Vir de origine harum Se-
et onum aliter fuerit persuasus: interim ne quid in gra. am Lutheranorum statuisse videretur, fingendum ipsi aliquid fuit, quod nullo
idoneo confirmare testimonio aut ratione poterat. Certe Cl. Leus-
denius, fidissimus ejus Interpres haud obscure innuit, quo fine hoc
ab ipsis afferatur, cum inquit nonnulli Judæorum referant inventio-
nem harum duarum literarum ad Mosen vel ad Esram Prophetam,
verum absque ulla ratione, vel fundamento: sed verosimilius est
eas literas esse additas à curiosis quibusdam Judæorum scribis, qui
curiose legem exscribere voluerunt. Ergo Lutherani ex his lite-
ris non possunt probare suam divisionem Decalogi, scil. decimum
Præceptum in duo esse dividendum quia Deut. 5. post illa verba
non concupisces uxorem proximi tui in Bibliis Hebraicis est lite-
ra ☚ vid. Phil. Hebr. Dissert. 4. S. 3. scilicet sola divisio Decalogi
Lutheranis usitata obstat, quo minus Sectiones hasce minores ad
Esram referre velint. Curenim Cl. Leusdenius una cum Buxtor-
fis tria ☚ & tria ☚ majuscula, quibus Sectiones Pentateuchi majo-
res designantur, magis Esræ tribuit, quam eas, per quas minores
Sectiones indicantur? cur? quia divisioni Decalogi Reformatis
usitatæ tria ista ☚ & ☚ non obstant.

§. 13. Incertitudinem argumenti Lutheranorum Cl. Philo-
logus ulterius probare conatur è maximā, quæ in Codicibus He-
braicis circa duas Sectiones hasce minores observatur discrepantia:
secundo, inquit, maxima circa illas literas in veteribus Hebræo-
rum Codicibus est varietas ac discrepancia fatente ipso Maimoni-
de in Tract. de Libro Legis c. 8. & Elia in Libro Masoreth Ham-
masoreth in Arca Tabularum fractarum. Unde in quibusdam
editionibus à Judæis quoque procuratis sunt omisæ, ut in edit.
Venet. in 4to de Ann. 5278. h. e. Christi 1518. & aliis. Resp. Ma-
gnam in Codicibus impressis pariter ac MStis circa duas hasce lite-
ras dari varietatem ac discrepanciam, non negamus, negamus ve-
ro, quod varietas ac discrepancia ista autoritati ac certitudini

Hartum literarum quicquam derogare queat. Etenim si Codicium varietas ac discrepancia ad veræ lectionis incertitudinem aliquid conferre posset, bone Deus, quantâ incertitudine totus Textus originalis, totaque religio ipsi superstructa laboraret! At ipse Vir Cl. alibi hanc consequiam aperte impugnat, quando contra Capellum, incertitudinem Codicis Hebrei ex infinitis variis lectionibus probanter, disputans, an, inquit, propter istas varietates in dubium vocatur authoritas totius Codicis Hebrei, & omnium apographorum? aut an propterea aliqua cum specie, aut aliquo cum fundamento id fieri potest? nequaquam Tractat. de Punctor. Orig. & Antiqu. P. 1. c. 16 p. 282. Probè videlicet, quomodo illæ particularium Codicum discrepantia ac varietates ritè emendari, atque secundum principia critica ad utam certam lectionem determinari deberent. Si quæ igitur circa has quoque literas observatur discrepancia, è probatis Codicibus eadem est tollenda, prout etiam ipse Maimonides ibidem, ubi de Sectionum istarum varietate ac discrepancia conqueritur, easdem ad certum numerum redigere est conatus, in Genesi recensens quadraginta tres Sectiones apertas, quadraginta & octo clausas; in Exodo sexaginta novem apertas, nonaginta quinque clausas; in Levitico quinquaginta duas apertas, quadraginta sex clausas; in Numeris nonaginta duas apertas, sexaginta sex clausas; in Deuteronomio tringinta quatuor apertas, centum & viginti quatuor clausas; universim in totò Pentateuco Sectiones apertas ducentas & nonaginta, clausas vero trecentas septuaginta novem: qui quidem Sectionum apertarum ac clausarum numerus non raro etiam sub finem unius cuiusque libri in Codicibus Hebraicis accuratio-ribus comparere solet.

§. 14. Ceterum an propter discrepanciam ac varietatem istam Sectiones illæ minores in Codicibus quibusdam à Judæis etiam procuratis, sint omisæ, nobis equidem exploratum adeo nondum est, quin potius sumus quam persuassissimi, quod in illo ipso Codice Veneto, quem pro se allegat Cl. Vir, si non ipsæ literæ & expressæ, saltem spatiū aliquod inter quamlibet Sectionem fuerit relictū, prout hoc ipsum factum etiam videmus in alia editione
Veneta

Veneta in 4to ab anno Christi 1520. Perinde enim Judæis esse follet, sive ipsas literas una cum spatiis exprimant, sive etiam omissis literis satis conspicua spatia relinquent, è quibus Sectiones istæ minores dignosci queant, quæ ut in Codicibus MStis, præsertim i s, quibus in Synagogis suis utuntur, accuratius, ita in impressis minus accurate observari solent. Quandoquidem vero hæc literarum omissione in Codicibus impressis facile confusione aliquam inter ipsas Sectiones inducere potest, hinc rectius in aliis Codicibus à Judæis procuratis præter ordinaria spatia ipsæ quoque literæ ְ & ִ sunt expressæ, ut in alia editione Veneta in 4to ab anno Christi 1525. nec non in altera ista in fol. quam secutus est Buxtorfus in sua editione Basileensi; præterea etiam in Bibliis Hebraicis Menasse Ben Israël Amstel. 1635. &, ut alias Codices non commorem, in utraque editione Athiana. Sed ponamus etiam, in Codicibus quibusdam à Judæis procuratis Sectiones istas propter nimiam ipsarum varietatem ac discrepantiam esse omissas, quid quæso hoc ipso authoritati earum decederet? In Bibliis Munsterianis, quorum jam superius mentionem fecimus, omnes præter majoris distinctionis Accentus sunt omissi; quis verò propterea reliquis Accentibus omnem usum atque autoritatem denegaret? Fallunt igitur ac falluntur, quotquot exinde, quia in veteribus Bibliorum Codicibus magna harum literarum deprehenditur varietas, concludunt, E. Literas istas non esse ab Ezra, & per consequens nullum usum habere, sed ut supervacaneas ex Bibliis hodiernis Hebraicis esse extrudendas.

S. 15. Pergit Cl. Philologus argumentando: tertio, negamus, illa (ְ & ִ) hunc usum habere, ut doceant, quanam sententiaz vel præcepta sint dividenda. Nulilus scriptoris Hebrei testimonio id confirmari posse reor. Alium imo supersticiosum illa ְ & ִ quæ passim in Pentateucho conspicuntur habent usum ad rationem scribendi Librum Legis ratione linearum, quem qui nosse cupit, adeat Librum de Abbrev. Hebr. in ְ & ִ. Resp. Hunc esse verum atque unicum harum literarum usum, ut doceant, quanam sententiaz à se invicem sint dividendæ jam tum superius ipsa ְ & ִ & inductione exemplorum omnium probavimus,

præsertim ex ipso statim primo Capite Geneseos, ubi inter singula
pona hexaëmeri, nec non ex Decalogo, ubi in fine singulorum
Præceptorum una harum literarum comparet, quibus adjungi e-
tiam merentur Cap. 49 Genes. ubi singula benedictiones, quas filius
suis Jacobus, morti jam vicinus, impertit per ejusmodi & di-
scriminantur. conf. præterea Exod. c. 21. 22. 23. Levit. c. 1. 3. Num.
cap. 1. v. 20, 22, 24. leqq. c. 6. v. 22, 27. cap. 7. Deut. 15. 16. 17 &c.
Protecto nisi duas istas literas hunc usum haberent, ut sententiarum
fines atque terminos indicarent, haud dubie aliquando etiam in
medio sententiarum compariturae essent, præsertim verò in Deca-
logo non tam frequenter & tam immediatè se invicem exciper-
rent. Quod autem Judæi in suis scriptis hujus usus expressam
mentionem non faciant, mirum haud est, cum ipsi primarium ha-
rum literarum usum in superstitiosa Legem describendi ratione
constituant. Id tamen obiter de Judæis etiam monere liceat, il-
los nostrum, quem literis hisce assignamus usum, non omnino
improbare, (cur enim negarentid, quod luce meridiana clarius
est?) sed denominandi tantum rationem à diversa harum sectio-
num scriptione petere, tacitè verò simul ipsas literas pro perpe-
tuò charactere discretivo diversi argumenti agnoscere, prout con-
tributum suorum mentem candidè nobis exposuit non postremæ
fidei ac eruditiois Judæus.

§. 16. Quartò argumentatur Vir Cl. à positu literæ δ, quip-
pe quæ præponatur versui vel lineæ sequenti, indicio sanè mani-
facto, eam ad præcedentem verum vel lineam pertinere haud
posse. Resp. Ultaceam, totum hoc argumentum superstitione
Judæorum Legem describendi ratione esse superstructum, quæ
à veris harum literarum authoribus procul dubio non fuit in-
tentata, negamus etiam, quod litera δ lineæ sequenti tantum præ-
ponatur, siquidem ex Maimonide jam tum superius dicimus,
Sectionis clausæ initium perpetuo debere esse à medio lineæ.
Huc ipse Cl. Buxtorius P. ad quem noster antea provocabat, Se-
ctionem in media linea incipientem vocari statuit ηενδρο clausā,
qua utriusque eadem linea claudatur, in Abbrev. Rabb. p. m. 163.

Non

Non magis igitur interpositum dād iacentem, quam ad p̄cēdētēm referri lineam potest.

§. 17. Quintum ac ultimum, quod in §. 6o. proponere ipsi visum fuit, argumentum, à contraria duarum literarum & significacione desumit, quæ satis arguat, unum idemque officium iplis haud competere, sed maximè contraria. Proinde si tale quid asserendum, ac literis istis aliud quoddam officium assignandum, multo sanè probabilius esse, cum versibus præfigatur & quod apertum significat, eo ipso præcepti vel sententia initium denotari, per̄ vero, quod semper in medio linea ponatur, non tam novam sententiam inchoari, quam potius præcedentem ulterius continuari. Et ita sanè Hebræos agnoscere alicubi hanc differentiam inter usum istarum literarum. Pe & Samech. v. g. R. Salomonem Ephraim in libro Keli Jakar, R. Baruch Miggarmisa in Libro Trumah, qui duabus Sectionum minorum speciebus tertiam adjunxerit, np. סדרורcontinuam seu cohærentem, quam ipse in antiquo libro invenerit, quæque in quibusdam etiam Codicibus inter præceptum nonum ac decimum sit expressa. Resp. Non diffitemur, hoc esse potissimum, quod nostræ sententia opponi potest argumentum. Ipsi enim rationi adversum esse videatur, literis, nominibus toto cœlo à se invicem diversis, gaudentibus, unum idemque officium tribuere. An non hac ratione res præter necessitatem multiplicaretur? quid enim opus erat duabus literis & & cum ad diversitatem sententiarum indicandam una harum sufficeret? Quibus ritè expensis non omnino contemnendus alicui videri posset usus à Cl. Philologo propositus, & alii etiam Criticis maximè approbatus. Et ne quid dissimulare videamus, ipsi primum ab hac sententia non omnino fuimus alieni. Et enim cum in accurata harum sectionum collatione veraremur, non pauca se nobis obtulerunt loca, in quibus litera dactiōrem inter sententias nexum facere videbatur, quam quidem litera & ut Genes. 5. v. 6, 9, 12, 15, 18, 21. seqq. coll. cum cap. 6. vs. 5. Cap. 10. vs. 1. coll. cum vs. 15, 21. & cum cap. 11. vs. 1. Exod. 16. vs. 11. coll. cum vs. 28. & cum cap. 17. vs. 1. cap. 28. vs. 6. coll. cum vs. 13, 15. Levit. 5. vs. 1. coll. cum vs. 11. cap. 14. vs. 21. coll.

coll. cum vs. 33 cap. 18 vs. 1. coll. cum vs. 6, 7 seqq. Num. 2. vs. 1. coll. cum vs. 10, 17, 18, 25, 32. Deut. 13. vs. 2. coll. cum vs. 7, 13. &c. Accedebat, quod plimet in Codice quodam MSto, quem Cl. Joh. Frid. Wincklerus Ebr. & Orient. Ling. Gymnasi Hamburgensis Professor publ. interitus pro suo in nos favore benevolè nobiscum communicare voluit, loco literæ ḥ non raro integrum vocem expressam observaremus. His rationibus induiti parum absunt, quin ipsi huic sententia subscriptissimus, diversumque literis istis tribu ssemus officium.

§. 18. Re tamen maturius considerata, ac rationibus omnibus probè subductis, aliter statuendum judicavimus. Deprehendimus enim in contrarium exempla oppidò non pauca, in quibus literæ si non majorem, saltem æque magnam, ac litera inter sententias separationem inferre observabatur. Faciunt hoc cum primis loca, quæ jam tum superius à nobis sunt adducta, cum in resellenda Cl. Leusdenii sententia occuparemur, quibus adhuc multo plura addi possunt, v. g. Genes. 14. vs. 1. coll. cum Genes. 15. vs. 1. c. 16. vs. 1. c. 17. vs. 1. Sic Exod. 9. vs. 1, 8. coll. cum vs. 13. cap. 15. vs. 20. coll. cum vs. 22, 27. c. 25. vs. 10. coll. cum vs. 23, 31. cap. 30. v. 17, 22. coll. cum cap. 31. v. 1. Levit. 1. vs. 10. coll. cum v. 14. cap. 13. v. 19. coll. cum v. 47. cap. 24. v. 1, 5. coll. cum v. 10, 13. Num. 1. v. 20. coll. cum v. 22, 24. seqq. cap. 20. v. 7. coll. cum v. 14. c. 28. v. 9, 11. coll. cum v. 16, 26. Deut. cap. 16. v. 1. coll. cum v. 9, 13. c. 22. v. 6. coll. cum v. 8, 10, 12. cap. 33. v. 7. coll. cum v. 8, 12. seqq. Proinde Sectio סְכִינָה quæ in Codicibus quibusdam MStis loco est expressa huic sententia patrocinari nullo modo potest, quippe quæ itidem ex superstitione Legem describendi ratione unicè ortum suum traxit, quod ipsum haud obscure colligitur ex delineatione hujus Sectionis, quam idem R. Baruch Miggarmisa, à Cl. nostro adversario allegatus, in Hile. Sepher Thora suppeditat, cum inquit: quando scriba lineam scribit usque ad medium, aut tertiam partem eius, ac postea relinquit spatiū vacuum, & incipit scribere lineam sequentem ex opposito ejus spati, ubi in superiori linea desinet, hæc est Sectio ordinata. Et paulo post addit, ejusmodi Sectio-

nem

שְׁנָרִיאַת הָכֹל כָּתוּב כִּשְׁלָתָה אַחֲרָה סְרוּרָה ordinatam quia omnia sic videntur, ac si scripta essent in linea una. Ex ipsius itaque mente Sectionis ordinatae denominatio non tam ex sententiarum cohærentia, quam ex linearum respectu est petenda: cui accedit, quod neque apud Maimonidem, neque in aliis antiquorum Judæorum monumentis hujus Sectionis ulla mentio iniiciatur, unde de ipsius authoritate merito dubitari potest. Taceo, quod in nostro Codice MSto aliquando etiam pro ipsa litera ס Sectionis סְרוּרָה posita observetur ut Exod. 10. v. 1. c. 11. v. 1. c. 21. v. 1. &c.

S. 19. His atque aliis inducti difficultatibus non poterimus non unum idemque literis istis officium assignare, nullumque inter ipsas discrimen aliud agnoscere, quam quod litera ס initium novi, ו verò terminum seu finem præcedentis argumenti designet. Cui quidem literarum istarum officio haud quaquam obstat diversa ac contraria earundem appellatio. Licet enim significet פְּתֻוחָה seu Sectionem apertam וְתִזְמָה seu Sectionem clausam, nihilo tamen fecius utrique unum idemque officium generale competit, ut argumentorum ac sententiarum diversitatem indicent, hoc tamen cum discrimine, ut quemadmodum litera ס formaliter quidem ac principaliter initium novi, virtualiter vero simul ac consequenter finis præcedentis argumenti designatur, ita vice versa litera ו formaliter quidem finem præcedentis, consequenter vero etiam initium sequentis argumenti indicet. Quo discrimine observato facile datur colligere, quid responderi debeat ad exceptionem Cl. Philologi, quando ulterius ita ratiocinatur: hac vero ratione adversis frontibus inter se concurrent in præceptis quibusdam Exodus & Deuteronomion: Nam in Exodo ante initium Decalogi ad אֶת נְכָנָךְ Ego, ponitur ו in Deuteronomio vero ו vice versa Præcepto quarto in Exodo præponitur ו in Deuteronomio ו. Quæritur itaque, quomodo hæc concilianda? At nos conciliationem facile suppeditabimus, modo applicent ea, quæ de officio harum literarum speciali modo diximus. Sive enim alicui Præcepto præfigatur ו sive ו perinde est, & utrinque Præceptorum diversitas indicatur: in eo tan-

tantum est differentia, quod illa formaliter finis praecedentis, virtualiter vero etiam initium sequentis, hanc vero formaliter initium sequentis, virtualiter autem finis praecedentis pracepti designetur. Si urget, hac ratione non opus fuisse duabus literis, cum ad argumentorum diversitatem designandam una harum sufficeret, quare ex ipso, quid sibi velint tria בְּ & tria דְּ, quibus Sectiones Pentateuchi majores designantur? aut quid opus fuit tot accentuum, ministrorum praesertim figuris? cur alii accentus in prolaicis, alii in metricis fuerunt adhibiti? Nam quod sum eorundem musicum attinet, quem hic cum multis Philologis aliquo modo approbare videtur Vir Cl. in Tractat. de Punctorum Antiquit. & Origin. P. 1. cap. 14 p. 243, seqq. dudum ab aliis est ostenum, quam inconvenienter ille pro accentuum multitudine urgeatur. conf. prater ceteros B. Wasmuth. Vindic. Hebr. P. 2. c. 2. Object. 7, p. 365. seqq. Videlicet, quod de suis Masorethis Tiberiensibus in libro Tobh Taam alicubi scribit Elias כי שם הטעמים לפי בח רחם ואין לשאול למה שמנו ואורי

הס כונו כוח סודות החוויה כי רעתך רחבה מרענתן
quod posuerint accentus pro beneplacito suo, nec querendum, cur posuerint, forte respexisse eos in his ad quædam secreta legis, cum scientia ipsorum fuerit amplior scientia nostrâ, nec ullus inter nos sit, qui sciat vel tantillum: idem nos de authoribus harum literarum dicamus. Posuerunt icti pro suo beneplacito has duas literas בְּ & דְּ nec querendum cur posuerint fortassis ipsi quoque habuerunt suas causas, quælibet hodie nobis sunt ignota, negandæ tamen propterea non sunt.

§. 20. Atque ita satis factum putamus argumentis Cl. Philologi in §. 60. propositis, quibus post alia interjecta in §. 64. ad huc quatuor alia subjungit. Disputat ibidem Vir Cl. contra Samuel. Bohlium, quamvis suppresso ipsius nomine, qui edito Tractatu de vera divisione Decalogi ex infallibili principio Accentuationis, novam aggressus est viam ad veritatem divisionis Lutheranorum adstruendam ex duplice Decalogi accentuacione, qua in Textus Hebreo in quibusdam Decalogi praceptis observatur. Occasione hujus controversiae Cl. Philologus iterum dilabitur

bitur ad prius argumentum, & postquam aliqua superius iam ab ipso allata breviter repetisset, pergit ulterius argumentando hunc in modum; Si dict' nctiones Legis per has literas Pe & Samech sunt à Spiritu S. cur non ubique illarum habetur ratio? cur distinctiones alias, quas certum est ab hominibus profectas esse, præferimus? annon major judicij Spiritus S. quam hominum pondus apud nos esse deberet? cur denique hujus unius in hoc loco literæ ratio habetur, dé ceteris ne semel quidem quisquam unquam cogitat? nam credo quem usum habent in Decalogo, eundem alibi quoque habebunt. Resp. Imo vero litera ב & ו eundem ubique usum habent, quem in Decalogo, quod verò in aliis locis ad literas istas non æquè provocemus ac in Decalogo, id nequaquam inde fit, quasi nos literis istis in aliis locis minorem autoritatem quam in Decalogo tribuamus, aut quasi alias distinctiones, quas certum est ab hominibus profectas esse præferamus: minimè gentium, sed, qui in aliis locis tantæ nobis controversiæ ab adverariis non moventur, quam quidem à Reformatiis in Decalogo. Interim easdem magni ubique astimamus, probe gnari, non exiguam illas solerti Scripturæ S. Interpreti, de argumentorum nexu & discrepantia sollicito præstare utilitatem. Etenim qui curatius paulo literas istas consideraverit, non sine singulari judicio easdem Textui sacro additas deprehendet, prouti nos inferius uno atque altero exemplo declarabimus.

S. 21. Porro absurditatis convincere Lutheranos conatur Vir Cl. cum inquit: Secundo in hoc manifestè absurdum impingitur, literas illas ו & ב sententiis postponi, cum, ut supra dictum præponantur: v.g. primum ו occurrit Genes. cap. 1. inter versum quintum & sextum, & quidem in illa linea, in qua finitur versus quintus, sed tamen non pertinet ad versum quintum, sed sextum, & dixit Deus יְהוָה sit expansum, & sic consequenter. Resp. Equidem, quod ad literam ו attinet, nullum videmus absurdum, si dicamus eam sententiis postponi: vel ipsa enim vox וְ qua per ו illud significatur, satis declarat, literam istam sententiis non tam præponendam, quam potius postponendam esse. De litera verò ב concedimus Cl. Viro absurdum esse dicere, eam sententiis postponi, cum vel ipsa ejus significatio satis superque indicet,

D

eam

eam ad subsequens argumentum formaliter spectare. At quod Lutherani hoc absurdum incurant, id est quod maximè negamus. Litera enim à quæ Genes. cap. I. inter versum quintum & sextum intercedit, formaliter ab ipsis non refertur ad argumentum præcedens, sed initium potius novi argumenti indicat; virtualiter tamen ac consequenter etiam ad præcedens argumentum spectare dici potest; etenim dum novi argumenti monstrat initium, simul præcedens argumentum absolutum esse significat. Idem quoque de aliis à ac ē ferri potest judicium.

§. 22. Tertiò argumentatur Vir Cl. hunc in modum; Si literæ illius officium est distinguere præcepta, quid opus fuit tam operosā ac pene monstrosa accentuatione duplice in reliquis præceptis? cur duplex illic nota distinguendi præcepta una insolens & multiformal plurimum accentuum; altera simplex per nudum? aut cur non eadem ratio fuit observata in præcepto decimo de concupiscentia? aut cur saltem Samech non est adhibitum in illo præcepto? Resp. Hoc ipso arguento prodit Vir Cl. sibi non satis cognitam fuisse accentuationem decalogicam, sicuti & de ejus difficultate conqueritur Cl. ipsius Pater in Thes. Grammat. Lib. I. p. m. 50. Tantum enim abest, ut gemina accentuatio decalogica monstrosa sit dicenda, ut potius illa æque ac simplex accentuatio certis regulis ac limitibus sit circumscripta. Quod verò præter duplē illam accentuationem inter quodlibet Præceptum intersertum est à vel à id majoris certitudinis ac perspicuitatis gratia factum esse censendum est. Nam cum accentuatio decalogica aliquanto intricior sit, facileque aliquem, ejus ignarum, dubium reddere possit, num ea etiam distinctioni præceptorum inserviat, visum fuit Synagogæ M. alium quendam, eumque vulgarem illum ac notorium characterem discretivum cuilibet præcepto adjungere, ut de genuina, ac intentioni Dei maximè convenienti Decalogi divisione eo rectius constare cuivis posset. Præcipue verò character iste inter nonum ac decimum præceptum requirebatur, quippe quæ admodum cognati argumenti sunt, & præterea in unum versiculum compacta, unicaque ac simplici accentuatione instructa, unde quis præsumere facile potuisset,

hæc duo unicum tantum facere præceptam. Hiac in accusationibus Codicibus tam in Exodo, quam in Deuteronomio duo ista præcepta non secus atque reliqua per literam & distincta consipiuntur. conf. sup. S. nostr. 9.

§. 23. Ultimum quod Cl. Philologus nobis opponit argumentum hoc est: Si præceptum primum pér accentus continuantes tam accurate à Spiritu S. est usque ad suum præfixum terminum productum, & illic tam accentibus, quam pér tanquam duplii limite immobili definitum ac circumscriptum, quā licentia magna pars illorum, qui hanc divisionem amplectuntur, limitem hunc à Spiritu S. positum movere, & partem præcepti maiorem in catechismis passim præcidere quælo audent? Resp. Quanquam hoc argumentum à præsenti instituto aliquo modo alienum est, nos tamen in gratiam Lutheranorum, quos haud dubiè hic præ cæteris petit Cl. Philologus, breviter reponimus, eos in catechismis suis partem præcepti primi præcidere, non quasi posteriora verba ad primum præceptum planè non pertinere credant, aut quasi limitem à Spiritu S. positum movere sibi præsumant, sed quia posteriora verba ipsis tantum sunt explicatoria priorum. Quandoquidem autem catechismus in gratiam plœborum potissimum hominum à B. Luthero concinnatus est, ut ipse in Præfat. sua testatur, hinc ut ipsorum memoriarē eo magis inserviret, brevitas maximē fuit studiosus, & posteriora adeo verba ceu explicatoria priorum planè omisit. Quod verò pro peculiari præcepto posteriora illa verba cum Reformatis non habuerit, patet inde, quod non solum in Catechismo minore illarum nullam plane mentionem fecit, sed & in Majori eadem primi Præcepti appendicem appellavit.

§. 24. Hæc argumenta Cl. Philologi dicta sufficiant. Præter ea verò supersunt adhuc duo alia, quæ antequam huic disquisitioni finem imponamus, tanto accuratius solvenda erunt, quanto majori cum veritatis specie eadem nostro, quem literis hisce assignamus usui opponi possunt. Et miror ego sanè Cl. nostrum adversarium, quod cum alioquin ad refellendam nostram senten-

tiam bene multa undique argumenta conquisiverit, hæc ipsa tamen non observarit. Scilicet dantur in Pentateucho loca non pauca, ubi nullum planè nec à nec ḥ conspicitur, cum tamen argumentorum diversitas unum illorum omnino requirere videatur; & dantur etiam vice versa loca alia, ubi character iste discretivus comparet, qui tamen ibidem ob arctum sententiarum neminem minus necessarius videri posset. Prioris generis exemplum statim sub initium Cap. 3. Geneseos occurrit, ubi historia lapsus primorum Parentum inchoatur, quod sane argumentum à præcedentinon minus est distinctum, quam illud, quod in cap. 2. proponitur à creatione mundi in cap. 1. descripta. Cur igitur capiti tertio non æque præfixa cernitur litera à atque secundo capiti? itane verò caput tertium magis cohæret cum præcedenti capite, quam quidem caput secundum? Simile exemplum habetur sub initium cap. 6. Genes. Postquam enim Moses in præcedenti cap. 5. varias ab Adamo ad Noachum recensuisset generationes, quæ studiosè admodum postea per literam à se invicem fuerunt discriminatae, in subsequenti cap. 6. historiam diluvii ordinatur, cuius sane cum præcedenti arguento tanta non est cohærentia, ut propterea ab eodem literis à & ḥ discerni non debuerit. Alia adhuc loca occurrunt Genes. 3. v. 14. coll. cum v. 16, 17. cap. 8, 1. cap. 10. v. 6. coll. cum v. 15, 21. Sic Genes. 29. v. 1. cap. 30. v. 14. cap. 42. v. 1. cap. 46. v. 1. Exod. 22. v. 18, 28. cap. 33. v. 5. Levit. 7. v. 22. coll. cum v. 28. Num. 4. v. 42. coll. cum v. 38. Deut. 3. v. 1. coll. cum cap. 2. v. 9. cap. 33. v. 6. coll. cum v. 7, 8, 12. &c. Posterioris generis exempla itidem varia in Pentateucho se nobis offerunt, è quibus brevitatis gratia aliqua saltem adducemus. Sic Genes. 46. v. 8, 28. in historia Josephi solæ familiæ, quæ cum Jacobo venerunt in Ægyptū per literas ḥ distinguntur, cum in tota illa historia à cap. 41. usq; ad c. 46. v. 8. nullus ejusmodi character discretivus compareat. Tria enim ׀׀׀ quæ c. 44. inter v. 17, & 18. in plerisque Codicibus interseruntur, (pro quibus in aliis editionibus habentur tria ׀׀׀) hoc quidem in loco non tam novi arguenti, quam novæ Sectionis Majoris sunt indicium, licet alibi etiam quandoque Sententiarum diversitatem simul significare

re possint. Quidn̄ ergo hic quoque literæ istæ æquè commode potuerunt omitti, atque in cap. 42. v. 1. cap. 43. v. 1. cap. 45, v. 1? Similiter quid cause fuit, cur Levit. 5. v. 11. Sacrificium pauperrimi magis per d̄ distingueretur, quam pauperis v. 7. & divitis v. 6. Gemina exempla habentur Genef. 6, 13. Exod. 15. v. 27. coll. cum v. 23. Levit. 14. v. 21. cap. 26. v. 27. coll. cum v. 18, 21. Num. 18. v. 21. cap. 32. v. 5, 16. Deut. 7, v. 17. cap. 11. v. 10. &c.

§. 25. De his & ejusmodi exemplis aliis ut candide mentem nostram exponamus, non possumus ire inficias, quin illa prima fronte maximum nobis scrupulum injecerint, animumque ancipitem quasi tenuerint. Videlicet enim ea ita comparata esse, ut facile aliquem dubium reddere possint, an etiam hoc sit verum, quod nos iisdem assignavimus, literarum d̄ & d̄ officium? Tentabimus tamen, an non huic quoque dubio commodā quadam ratione satisfieri queat. Duas verò potissimum vias deprehendimus hæc & ejusmodi loca alia cum nostrâ sententia conciliandi, quas ut pote magnam toti huic argumento lucem affundentes cum curioso Lectore communicare non dubitavimus. Primum scil. & ante omnia in talibus exemplis accurata Codicum collatio instituenda. Dici enim non potest, quanta in impressis pariter ac MStis circa Sectiones hasce minores observetur discrepantia. Qua quidem in re insignem nobis operam præstit utilissimus ille labor R. Menachem de Lonzano edito libro Or Thora, cuius jam superius mentio à nobis facta est, in quo errores varios circa literas d̄ & d̄ in editionibus Venetis passim obvios studiosè observavit, ac pro viribus ex aliis editionibus præ'ertim MStis emendavit. Ut verò unicuique eo melius patescat, quâ ratione hæc Codicum collatio, ac emendatio ritè institui debeat, exempla nonnulla mentem nostram illustrantia in medium afferre non pœnitabit. Ubi tamen, ne nimium prolixius simus, prætermittenda existimamus ea loca, in quibus loco s̄ litera d̄ & vice versa posita conspicitur, præsertim cum ad præsens institutum parum aut nihil faciant. Ira v. g. literæ d̄ in toto capite 5. Geneseos deficiunt in editioni Venera 4. & Basileensi 4. to. quas tamen unicuique generationi rectius interfuerunt alii Codices tantum non omnes, non secus atque cap.

II. generationes Semi per easdem literas distingui videmus. Sic Exod. 28, v. 6. deficit litera ɔ in Plant, utraque & Francofurtana, quæ tamen ob argumenti diversitatem ibidem non minus necessaria est, quam in v. 13, 15, 31, 36. litera ɔ quam ob causam reliqui etiam Codices omnes repugnant. Similes Codicum discrepantias eodem modo emendandas vide, sis Genes. 1, 19 Exod. 2, 23. cap. 21, 28. cap. 39, 22. Levit. 22, 17. cap. 23, 9, 23, 26. Num 2, 1, 2, 21, 17. C. 29, 26. Deut. 27, 20. C. 30, 15. &c. Atq; hac ratione concilianda quoq; putamus pleraq; loca superius à nobis allegata, non obstante Codicium multitudine, & Criticorum dissentu. Sic licet Genes. 8. v. 1. in omnibus Codicibus impressis nulla planè Sectio compareat, nullum tamen est dubium, quin dentur Codices MSti, qui aliquam ibidem expressam habeant, cum sententiarum diversitas omnino eandem requirere videatur. In nostro certè MSto litera ɔ ibidem posita conspicitur. Similiter Genes 10. v. 6 inter genealogiam Japhetis, & Chami interserendā putamus ejusmodi Sectionē minorem non lecūs, atq; per eandem distinctam videmus genealogiam Cenāanis v. 15, & Sēmi v. 21. quicquid etiam hic in contrarium statuat R. Menachem, provocando ad Codices Hispanicos, Hierosolymitanos, Germanos, imo ad ipsum R. Meier & magnum Maimonidem. Sufficit enim quod ipsomet confite in Codice Hillelano, at quantum ille! Sectio clausa ibidem sit expressa. Ita Genes. 30. v. 14. haud dubie nova quædam Sectio inchoatur, licet Critico nostro aliter fuerit visum. Præterquam enim quod Bombergiana 4. Plantiniana utraque, & Francof. hic exprimant ɔ, in duobus etiam Codicibus MStis Berolinensibus, à nobis ipsis collatis spatium satis conspicuum inter v. 14, & 15. est felictum. Huc spectat quoque locus Exod. 8. v. 1. ad quem prolixe ad modum disputat Criticus modo nominatus, an ibidem nova quædam Sectio sit constituenda, nec ne? Dubium ipsi primum movit Codex Hillelianus, & editio Maimonidis impressa, in quibus Sectio clausa fuerit deprehensa. Concludit tamen nihil secius, hanc Sectionem minus esse genuinam, cum in Codicibus Hispanicis ac Ägyptiis eadem haud compareat, nec R. Meir ejus ullam mentionem faciat, præterea in Codicibus quibusdam Maimonidis MStis

MStis discrepantia aliqua obseruetur. At enim verò qui obser-
vaverit, pluram istam וְהוּא אֶל-מִשְׁנָה in reliquis locis omni-
bus constanter per literas ג & ס discriminari, is nullo modo
dubitabit, quin hic quoque nova quædam Sectio ordiatur, prout
etiam Plantin, utraque ac Bomberg, editio eandem rectè expre-
serunt. Plura hujus generis loca vide Exod. 21, v. 28. C. 38, 24.
Deut. 30. v. 15 &c. Summa huc redit; ubicunque in Pentateucho
manifesta argumentorum diversitas deprehenditur, ibidem nova
quædam Sectio minor est constituenda, si vel maximè etiam ple-
riique Codices dissentiant.

§. 26 Quod si verò nulla prouersus Codicum discrepantia ob-
servetur, tunc in ejusmodi locis ad scopum Spiritus S. primari-
um, & circumstantias Textus probè attendendum, & de apto
quodam convenientiæ nexus est cogitandum. Si quidem id in
more positum esse authoribus harum Sectionum videmus, ut Scopi
primarii potissimum rationem habentes reliquas circumstan-
tias minores, tanquam huic unice subordinatas, haut distinguant,
nisi forte singularis quædam emphasis, aut alia quædam specialis
ratio distinctionem postuleat. Observare hoc cum primis licet in hi-
storiarum recensione, quæ nonnunquam per integra capita absq; ^z
ulla harum Sectionum distinctione continuantur. conf. Genes. 18,
seq. Cap. 24. C. 26. C. 27. seqq. C. 32. C. 41. C. 44. Num. 22. seqq.
Neque verò hoc in historiis tantum usu venit, sed in aliis etiam
Pentateuchi locis, in quibus nexus primo s. tim intuitu cuivis
non patet. Ita v. g. mirari quis posset, cur Exod. 23. v. 12. præ-
ceptum de Sabbatho rite colendo & v. 14. præceptum de tribus fe-
stis majoribus celebrandis non æque per Sectiones minores fue-
rint discriminata, ac præceptum de falso testimonio v. 1. de bove
aut asino erranre v. 4. de jumento sub onere suo decumbente
v. 5. &c. Hujus rei non ineleganter rationem suppeditat doctissimus R. Salomo Iarchi, quando ad verba בְּיֹום רַשְׁבֵי שְׁבָתָה
hunc in modum commentatur: ne quidem in anno septimo loco
suo evertas Sabbathum primum, ita ut dicere præsumas, quan-
doquidem totus ille annus appellatur Sabbathum, te non teneri
obler-

observeare Sabbathum primum. Scilicet injungitur in præcedentibus præceptum de non pervertendo jure egeni, quod inter alia etiam fieri poterat, si fructus anno septimo sponte sua nascentes à possessoribus colligerentur. Hinc v. 6. seqq. jubet benignissimum Numen, ut sex annis fructus sererentur ac colligerentur, in septimo vero utpote Sabbathico provenientes pauperibus ac egenis cederent. Ne quis vero in illam opinionem incideret, quasi hoc ipso anno Sabbathum ac reliqua festa non forent celebranda, cum totus ille sit Sabbathicus, statim subjungere ipsi viuum fuit præceptum sapienter jam inculcatum de Sabbatho sanctificando. Ad similem modum alia quoque exempla solvi possunt, quæ nos aliorum diligentiae committimus. Cavendum tamen hic arbitramur, ne ratio in ejusmodi locis nimis longè sit petita, qualis est illa, quæ occurrit, apud eundem Judæum ad Genes 48, v. 28.

S. 27 Pari ratione versandum judicamus circa illa loca, in quibus nullâ adeo urgente necessitate Sectiones istæ minores expressæ observantur. Si enim ex collatione omnium quotquot reperiuntur Codicum constiterit, nullam in iis dari discrepantium, certi esse possumus easdem propter singularem quandam emphasin, nec sine prægnanti quadam ratione fuisse additas. Egregium hujus rei exemplum habemus Num. 4, v. 24. ubi in solenni illa benedictione sacerdotali inter quolibet membrum litera d est interposita, haud dubie ad indicandam personarum in una essentia divina pluralitatem, non secus atque Es. 6, in Trisagio illo Seraphinorum singula vox וְרָא accentu distinctivo notata apparet.

S. 28. Haec de Sectionibus hisce minoribus dicta sufficient, quæ equidem latius diduci potuissent, nisi temporis ac chartæ habendam esse rationem putassemus. Interim ex hoc qualicunque specimine satis superque patere existimamus, non frustra omnino esse, quæ de earundem utilitate superiorius asteruimus.

S. D. G.

Jc 335



56.

Von

Ab



